

E nobilissimarum scientiarum varietate in solius prope Philosophiæ moralis noticiam devenere, naturalem quippe variis erroribus potius obscurarunt quam illustrarunt. Ethica porro ipsa præcepta, ex eo quod de Dialectica nihil attingerunt, nullo doctrinæ ordine, sed confusis fere sententiis atque ratiocinationibus tradunt, quantum duce illo quod à natura infundi solet, lumine assequuntur. Maximus inter omnes Philosophus Sinenfis Confutius appellatur, quem invenio quingentis quinquaginta uno annis ante Christi Servatoris nostri in terras adventum in hanc lucem prodiisse, & annis amplius septuaginta ita vixisse, ut non exemplo minus, quam scriptis & congressibus omnes ad virtutis studium incitaret. Ex qua vivendi ratione consecutus est apud Sinas, ut mortales omnes, quotquot ubique terrarum virtute præstiterunt, vitæ fan-